



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

17. An censuræ sententia lata sub forma distinctiva, v. g. præcipio hoc sub pœna exco[m]municationis, vel suspensionis, habeat effectum? Et an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

dis. 8. dub. 3. Sayr. lib. 1. cap. 9. num. 14. Suar. de cens. disp. 4. sect. 1. Coninch. de Sac. disp. 1. 13. dub. 8. & alios communiter. Unde & Valq. recte cum Hurtado de cens. in comm. diff. 1. 1. docet ex dictis exemplis nullum actum interiore contentum in illis præcipi, neque prohiberi, nec puniri ab Ecclesia, nisi verbo, aut alio signo exterioris indicetur, quamvis conjungatur cum exteriori actu, ac proinde Inquisitores non incurrere excommunicationem, quamvis ex odio, vel amore non procedant in causa fidei, nisi signo aliquo exteriori indicent omissionem procedendi provenire ex odio, vel amore, nec Monachum Benedictinum, quamvis adeat Curiam animo accusandi Superiorem, nisi exterioris indicet eo animo adire, nec eos, qui in contemptum dicti Dominicæ ea die jejunant, nisi indicent exterioris dici fieri in contemptum, nec eos, qui interioris discrepant, nisi exterioris indicent animum hæreticum, imò non sufficit postea fateri se interioris discrepasse, nec adisse Curiam eo animo, necnon processisse in causa fidei, ex odio, aut ex amore; quia id non est discredere nec adire Curiam eo animo, nec non procedere in causa fidei ex odio, aut ex amore.

RESOL. XV.

An actus, vel omisso externa, per quam feratur censura, debeat esse signum actus interni? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 49.

§. 1. Tam dictum est in superiori resolutione Doctores docere ob solum actum internum non posse imponi censuram, sed esse necessarium actum, vel omissionem externam; sed ut verum fatear non satis explicarunt an actus, vel omisso externa debeat esse signum actus interni; id verò fuscè & subtiliter explicarunt duo illa lumina Societatis Iesu, Valq. & Suarez.

2. Difficultas igitur est, an quando actus externus non est signum externum sub peculiari ratione malitiæ, ob quam imponitur ab Ecclesia censura, incurritur, v. g. si imponatur excommunicatio ob peccatum hæresis, & quis ex judicio hæretico faciat actum externum, qui non sit signum hæresis quando est, an propter talem actum incurritur poena imposita? Pater Valq. in 1. 2. disp. 160. cap. 5. n. 20. & cap. 3. & tract. de excomm. dub. 19, docet necessarium esse, ut opus externum sit significativum actus interni sub ratione, quæ est prohibitus actus externus ab Ecclesia; & ratio est, quia actus exterior sub ea ratione malitiæ omnino est incognitus Ecclesiæ; nam neque ex materia habet eam malitiam, neque est signum malitiæ ex fine, quæ latet in voluntate, ergo.

3. Verum Pater Suar. de cens. disp. 4. sect. 2. n. 18. quoad præsentem questionem docet, primò si actus externus sit secundum se bonus non incurrere hominem operantem censuram impositam propter tale opus. Probat num. 2. quòd sit bonus, & non est signum malitiæ ex fine, neque ab Ecclesia potest judicari malus ob solam circumstantiam finis. Secundo docet n. 22. posse Ecclesiam prohibere actionem externam ex se malam, & prohibere illam, ut procedentem à peculiari affectu, & non ab alio, & hoc putat probari aliquibus argumentis, quibus probari solet Ecclesiam punire posse actum internum ut connexum exteriori; & ultèrius probat, quia etiam si quis externo actu profiteretur hæresim, si internum veram fidem retineret, non incurreret poenam hæresis; ergo potest Ecclesia actum externum punire ut conjunctum peculiari actui interno. Tertiò docet num. 25. Ecclesiam posse punire actum externum propter defectum interni, quando est quasi de substantia externi, & num. 27. concedit posse aliquem incurrere poenam ab Ecclesia impositam ob

defectum talis actus interni, etsi exterior nullum sit signum ejus defectus. Hæc Suarez.

4. Sed Turrianus de cens. lib. 1. disp. 4. dub. 2. & meritis magis approbat sententiam Valq. & propter ejus rationem approbat primum dictum Suarez. Tertiò verò Turriano displicet, quia ratio facta pro sententia Vasquez, eandem vim habet, quia sicut intentio aliàs mala circa actionem ex se bonam externam non potest esse nota Ecclesiæ quando nullum est signum externum. Ergo utrumque est per se incognitum Ecclesiæ. Et patet, quia si Ecclesia vellet imponere ob talem defectum aliquam poenam distinctam à censura, quæ esset ab Ecclesia infligenda exterioris, non posset, quia non posset probare in foro externo illud peccatum ex defectu signi interni, & non solum ex defectu testimonij, ut per accidens contingit in aliis peccatis, ut sunt ex se cognoscibilia ab Ecclesia ob signum externum. Circa verò secundum dictum Patris Suarj non dubitat Turrianus posse Ecclesiam punire actum externum ob peculiarem actum internum, ut Suar. probat, sed contendit non incurri censuram impositam ob actum externum cum illo interno, nisi exterioris constet de affectu illo interno.

RESOL. XVI.

An incurritur in excommunicationem, quando opus externum, cui annexa est excommunicatio, fuit solum veniale, sed internum mortale? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 41.

§. 1. Placet huic dubitationi respondere cum verbis Laurentij de Portel, viri quidem docti, in dub. in tr. 2. Ref. Reg. verb. excommunicatio, in addit. n. 1. ubi sic ait: Percussit quis Clericum pravo animo, ita ut ex pravo animo percussio sit mortale peccatum: at ex parte operis percussio fuit levis, & venialis. Queris, inquam, an ob talem percussorem incurritur excommunicatio? Respondet Sanchez negativè 2. lib. Decal. cap. 8. n. 7. & citat Henriquez, Gutierrez & alios. Et hoc idem dicendum erit in quovis alio opere, cui annexa est excommunicatio, si opus externum fuit solum veniale, & leve, licet internum fuerit mortale; & ratio est, quia Ecclesia non excommunicat actus internos, sed externos & requiritur ut actus externus sit de se gravis, & mortalis.

RESOL. XVII.

An censura sententia lata sub forma disjunctiva, v. g. præcipio hoc sub poena excommunicationis, vel suspensionis, habeat effectum? Et an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Et an qui sub hac forma censuram ferret, graviter peccaret? Ex part. 5. tract. 9. Resol. 63.

§. 1. Causus est curiosus, ad illum negativè respondet Navar. cap. 27. num. 61. & Sayrus de cens. lib. 4. cap. 7. num. 3. Henriquez lib. 13. cap. 32. num. 4. Vgolinus de cens. tit. 1. §. 2. num. 4. & hanc opinionem testatur Turrian. docuisse P. Vasquez in tract. MS. de suspensione §. 2. loquentem in specie de suspensione ab officio, & ratio est, quia ista verba, v. g. Excommunico, vel suspendo te, nihil determinate significant ergo nihil determinate efficiunt, præsertim quòd nec utrumque præstare valent, ut dictum est, nec alterum tantum, cum non sit major ratio unius, quam alterius, & ita hanc sententiam negativam mordicus tenet Gordonus in sum. tom. 2. lib. 7. quest. 5. cap. 1. n. 5. ubi sic ait: Potest ferri censura disjunctive hoc modo. Suspendus maneat, vel excommunicatus, & aliqui putant

tant non valere hanc formam, quia nihil determinatè significat. Ergo nihil determinatè efficit, cum verba non plus efficient quàm significant. Alij valere putant, & in re dubia debere istum ab utroque abstinere, nempe beneficio; & officio. Certum tamen est ex vi disjunctivæ propositionis, quod uterque effectus non inferatur, sed neque particula *vel* habet sensum copulativum, ut tamen aliquando contingit in propositione negativa, dum sic dico: Nemo legat, vel scribat tali tempore. Nec satis est, si dicas; verbum *suspensio* includere virtutem negationem. Idem enim esset de quavis censura, & expressa proprietatis vocis non hoc ingerit audienti ex communi concipiendi modo, aliud esset si iudex declararet suam mentem esse copulativam, alioqui pœnalitæ hæc restringenda sunt; non ergo uterque effectus ex hac causa colligitur. Quæres, an reus sub tali forma teneatur saltem ad alterutrum? Ratio dubitationis est, quia non videtur esse major ratio de uno, quàm de altero, putat Suarez valere hanc formam hoc modo, hoc est, de alterutro; & in arbitrio rei esse ut eligat quam velit partem, sed certè hoc durum est, ignorata sic, & necdum explicata iudicis intentione formæque manente dubia, si cogatur sibi reus eligere condemnationem in rebus, quas semper in mitiorem partem interpretari oportet, nec iustum hic præceptum latens in hac forma fingi potest, quo teneatur ad electionem huiusmodi faciendam, neque text. in cap. *præerea de appellat.* probat valere talem formam, ut idem author fatetur *disp. 3. sect. 2. num. 13.* Illa etiam exempla ejus de indulgentia sic concessa, vel de pœnitentia in foro conscientie imposita, nihil hic evincunt. Clarum enim est ex usu, & modo significandi in tali materia electionem incumbere acceptanti illud quod datur. Nihil tale est in materia hac, pœnæque fori exterioris, & quam quisque non petere, sed de industria fugere præsumitur. Quare nisi ex materia circumstantiis, voluntate iudicis, aut natura rei aliud constet, puto non esse validam hanc formam non determinatam. Ita Gordonus.

2. Sed his non obstantibus Alterius de *conf. tom. 1. lib. 3. disp. 9. cap. 3.* & Suar. de *conf. disp. 2. sect. 2. n. 12.* putat talem formam habere effectum, quia electio unius partis relinquitur arbitrio ejus, in quem fertur censura, quod si iste nolit eligere, docet ante electionem obligari utraque ex intentione ferentis censuram ne omnino ejus sententia reddatur inefficax. Mihi placet, si pœna relinquitur arbitrio Rei, & ipse elegit unam determinatè, illa ligabit ex intentione ferentis censuram & ita docet Turrian. de *conf. lib. 1. disp. 4. dub. 1.* ubi observat, quod existimant aliqui intentionem ferentis sententiam eo modo esse, ut hoc ipso, quod subditus velit violare præceptum, ligetur minori censura illarum, ita ut subditus violans legem expressè, non eligat virtualiter, censetur eligere minorem ex voluntate ferentis censuram, ne maneat ille absque aliqua pœna quod non probatur firmo aliquo argumento, quod si nollet pœna obligari, nisi expressè subditus eligeret, subdito non eligente, non incurreretur aliqua illarum, quia non est major ratio unius, quàm alterius. In quo eventu Vgolinus, & Valquez videntur loqui, & idem iudicium esset, si neque Superior determinaret censuram, neque relinqueret arbitrio subditi, ratio enim facta in hoc casu eandem habet vim.

3. Verum post hæc scripta inveni Cornejo in 3. p. tract. 5. de *conf. in gen. in disp. 5. dub. 4.* præsentem questionem pertractare, ubi quærens an in tali casu requiratur quod iudex determinatè intendat speciem censuræ; & respondet satis esse quod relinquitur eam arbitrio ipsius Rei, ut ipse eligat, quam maluerit, quod à simili probatur, quia sententia lata in foro conscientie pœnitentialis sub forma disjunctiva arbitrio pœnitentis determinanda est valida; ut si quis imponat

satisfactionem pœnitenti, hoc modo: Vel tali die jeuna, vel fac elemosynam, & idem est de concessione Indulgentiarum sub hac forma: Si tali die jejunaveris, aut elemosynam feceris. Ergo etiam in casu conclusionis erit valida censura sub disjunctivæ prolata: nihilominus tamen graviter peccaret, qui sub hac forma censuram ferret, quia non est in usu Ecclesiæ, & quia cum de ratione pœnæ sit, quod involuntariè incurratur, censura incurrenda arbitrio Rei quodammodo est contra formam quam iudices servare debent in pœnis imponendis.

RESOL. XVIII.

An censura possit ferri sub conditione?

Et an appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendat excommunicationem?

Sed difficultas est, an hæc appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solum intra decem dies, ut fieri solet aliarum sententiarum appellatio?

Et quid dicendum, si pendente conditione iudex moriatur, vel reus forum mutet?

Et tandem quæritur, an si conditio esset de futuro & omnino impertinens, censura esset valida? Ex part. 3. tract. 9. Resol. 64.

§. 1. **R**espondeo affirmativè ex cap. *præerea, de app. appellat.* & ex cap. *Romana §. exco. de sent. excom. in 6.* & nota censuram ita latam nunquam incurrit donec conditio adveniat, & impleatur, & non propter hoc est dicendum censuram fuisse suspensam vsque ad adventum conditionis, quia solum habuit vires suas, quando conditio extitit & tunc censetur profecti à iudice, & non tempore pronuntiationis, ut docet Covarr. in cap. *Alma mater. l. p. §. 10. num. 6.* Vgolinus *tit. 1. cap. 2. §. 2. num. 3.*

2. Nota tamen quod appellatio post sententiam excommunicationis latam sub conditione, si fiat ante completam conditionem, suspendat excommunicationem. Ita Hurtad. de *excomm. disp. 13. diff. 4. n. 11.* Avila *p. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 11. conclus. 3.* qui docet cum Gutierrez. in *Can. 99. lib. 1. cap. 4. num. 20.* hanc doctrinam procedere etiam si iudex dicat, Nisi, v. g. satisfeceris intra mensem Petro, ex nunc sis excommunicatus: nam licet, verbum *ex nunc* sit præteritis temporis, denotat tamen futurum effectum.

3. Sed difficultas est, an hæc appellatio possit fieri toto tempore, quo conditio non est impleta, vel solum intra decem dies, ut fieri solet aliarum sententiarum appellatio juxta *quod ad consiliatorem, de re judicata?* Abbas in *cit. cap. præerea*, docet faciendum esse intra decem dies, quia jus est generale. Sed contrarium docuit gloss. in *cit. cap. præerea*, & Navar. in *cap. cum contringat, de rescript. caus. 18.* quam ut satis tutam & probabilem, magisque probandam sequitur Suar. *disp. 3. sect. 6.* & faver. cap. *præerea*, illis verbis, *Medio tempore*, hoc enim est totum illud tempus, quo conditio non est impleta, antequam sententia illa non est simpliciter sententia, sed secundum quid, & ideo non mittitur sententia sub jure & lege generali: & ita etiam docet Cornejo in 3. p. tract. 5. de *conf. in gen. disp. 4. dub. 2. quest. 1.* & Turrian. de *conf. lib. 1. disp. 3. dub. 3.* Vnde Avila ubi *supra* sic ait: Nota quod licet ab aliis sententiis appellandum sit intra tempus à jure præfixum, scilicet decem dies: at vero ab excommunicatione sufficit appellare ante impletam conditionem, quamvis appelletur post tempus præfixum à jure ad appellandum. Et ratio discriminis est, quod ad excommunicationem requiritur contumacia, quæ re-